

109. Errare non potest Ecclesia, si totam ac univer-  
sam Ecclesiam respicias, quae nunquam tota erravit, si unicum illum protoplastorum lapsum excipiamus: nunquam etiam tota errare potest, quippe quae habet infallibilem promissionem de Spiritu sancto inducturo eam in omnem veritatem, Ioh. 16, 13: Habet item promissionem. quod portæ inferorum adversus eam non sint prevalitæ Matth. 16, 18.

110. Hinc est quod eam columnam & funda-  
mentum veritatis appellavit Apostolus, 1. Tim 3,  
15. Hinc perpetuè eandem mansuram nostra cre-  
dit Confessio: peritura utique aut desitura. si  
totam illam errare contingeret.

111. Rursus errare potest Ecclesia & graviter  
erravit sepissime: cum magna vel etiam maxi-  
ma eius pars errat: id quod probatur exemplis, de  
Ecclesia tempore diluvij, tempore Eliæ prophetæ,  
tempore nati Christi, tempore Arianismi per to-  
tum Orientem Ecclesias occupantis, &c.

112. Quæ exempla validissimè demonstrant,  
errasse quidem Ecclesiæ partem maximam, imò  
columnas etiam & Antistites: interim tamen  
non totam ac univer- sam errasse Ecclesiam: si qui-  
dem semper fuerunt, qui ab errore immunes, &  
si non adulti ulli, infantes certè conservarentur.

113. Sic in Concilio Niceno uno resistente  
Paphnutio, tota Ecclesia errasse dici non potest.  
Sic tempore Eliæ, reservavit sibi Dominus septem  
millia.